

C A P . X X X I I I .

Theodotiani cur sic appellati. Erroris autem eorum caput
vnum, & causa hæreseos explicata.

Heodotiani à Theodotione² quodam in-
stituti hominem tantummodo² Christum
asseuerant. Quod dicitur quidem Theodo-
tion propterea docuisse, quia in persecutio-
ne lapsus, isto modo se casus sui deuitare putabat oppro-
brium, si non Deum negasse, sed hominem videretur.

I A Theodotione.) Hanc hæresin prætermisit
Isidorus. Epiphanius tamen, Theodoreetus & ijs an-
tiquior Eusebius habet libro 5. Histor. cap. 28. Qui
fuit huius hæreseos parens & autor ab alijs Theo-
dotus, vti à Tertulliano, appellatur, non autem
Theodotion. Et Epiphanius ipse Θεόδοτος nominat.
Vnde hoc quoque loco ex omnium scriptorum
consensu reponerem, à Theodoto: delerem autem
Theodotione. Nam hi ipsi ab alijs dicti sunt etiam
Theodotij. Fuit autē & tempore & hæresi, & natio-
ne alias hic Theodotus de quo nunc Augustinus
agit, à Theodotione, quem inter hæreticos recen-
sent scriptores Ecclesiastici. Theodotion enim
quanquam Christum purum ἡγίαν. i. merum tan-
tummodo hominem dixit, vti hic noster: Taciani
tamen hæresin potius, quam Artemonis amplexus
fuisse scribitur (nam Taciani fuit discipulus) qui
Ephesius natione, fuit, & cum Aquila vixit, Biblio-
rum Hebræorum malignus interpres, quanquam
tamen peritus linguae Hebraicæ, sed demum ad Iu-
daismum defecit, de quo Euseb. lib. 3. cap. 8. & cu-
ius